

954/1.

4

DISPUTATIO JURIDICA  
DE  
**SECURITATE  
PUBLICA,**

*Quam*  
D. O. M. A.

PRÆSIDE

**SAMUELE RACHELIO J. U. D.**

& in Acad. Kiloniensi Juris Nat. & Gent. Prof.

*publice examinandam proponet*

**NICOLAUS BOZEI**

Heida-Dithmarsus,

RESPONDENS,

*In Auditorio Ictorum,*

*a. d. IX. Junij.*



Diss. jur. civ.

467,12

KILONII,

apud JoACHIMI REUMANNI, Acad. Typogr.

Anno MDC LXVI.



*PER ILLUSTRIS ATQVE EXCELLENTISSIMO*  
**VIRO,**  
**DOMINO JOHANNI**  
**ADOLPHO KIELMANNO**  
**DE KIELMANSECK,**  
HEREDITARIO IN SATRUPHOLM ET OBDORF,  
HAMBURGENSIS CAPITULI PRÆPOSITO,  
**SERENISSIMI CIMBRORŪ DVCIS**  
CONSILIARIO PRIMARIO ET CANCELLARIO,  
REGIMINIS ET CAMERÆ PRÆSIDI,  
PRÆFACTO IN TRITTOV, REINBECK ET MORKIRCHEN,  
MULTORUM EXEMPLA SUPERGRESSO  
IN ILLUSTRIS EXEMPLUM NATO HEROI,  
**OPTIMORUM PRINCIPUM**  
**FIDO ACHATI,**  
**PATRIÆ ATLANTI FORTISSIMO,**  
UTRIUSQUE FORTUNÆ ARBITRO  
**CONSTANTISSIMO, FELICISSIMO,**  
MUSARUM SOSPITATORI,  
**LITERARUM FUGIENTIUM STATORI,**  
IN.

INCLUTÆ ACADEMIÆ CHRISTIAN·ALBERTINÆ  
MÆCENATI,  
DOCENTIUM PATRONO OPTIMO,  
DISCENTIUM PROMOTORI FAVENTISSIMO,  
CUI  
UTERQUE ORDO  
VENERATIONEM, AMOREM, OBSERVANTIAM,  
BONA FIDE,  
QVA NIHIL SANCTIUS HABUERUNT VETERES,  
NEC HABENT HOLSATI,  
CEU HERCULI SUO MUSAGETÆ,  
LITAT, DEVOVET,  
ET EX VOTO PERLITARE DISCUPIT;  
DOMINO AC PATRONO  
SVO OBSERVANTISSIME COLENDO  
HAS ACADEMICORUM FRUCTUUM PRIMITIAS  
SUBMISSA MENTE MANUQ;  
OFFERT, DICAT, CONSECRAT,  
L. M.  
ET  
NESTORE AC CYNEA  
ANNIS QUIDEM MINORI,  
PRUDENTIA, RERUM USU, ELOQVENTIA  
MAJORI,  
ÆTA-

ÆTATEM QVOQVE NESTORIS ET CYNEÆ,  
CUM ÆTATE FELICITATEM,  
CUM FELICITATE PERPETUITATEM  
CALIDIS SUSPIRIIS  
OPTAT, PRECATUR,  
SE STUDIAQ; SVA

**TANTO PATRONO**  
ENIXE COMMENDANS  
EXCELLENTIÆ EJUS

HVMILLIMVS CLIENS

NICOLAUS BOZE/R.



Σὺν Θεῷ.

I.



Ultra Variæque sunt, quæ ab hominibus expeti solent, bona; quippe *omnis ars, omnis scientia, & actio bonum aliquod appetit*: sic ut veteres illud definiverint esse *bonum, quod omnia appetunt*. Et cum multæ diversæque sint artes, scientiæ & actiones, quæque ex his suum sibi peculiarem finem, & in eo suum bonum propositum habet. Ne vero Appetitus, cuius est Bonum persequi, desultorio more circumferatur per varii generis bona, ipsaque Natura eo nomine reprehensionem incurrat, metam illa quandam extremumque Homini finem præfixit, qui in se summum continet Bonum, quod per se expetatur, nunquam referatur ad aliud, sed ut alia bona & fines ad hoc bonum finemque hunc extremum referantur: Unde hoc summum, cui reliqua subordinantur, Aristoteli dicitur *τέλει & ἀρχιτεκτονικόν*, Platoni *ἐπιτακτικόν*, reliqua bona & fines *ὑπηρετικοί*. Ipsaq;

A

illa

illa disciplina, quæ hujus architectonici finis seu summi boni theoriam sibi vindicat, ἀρχιτεκτονική Philosopho non immeritò appellatur, πολιτική τις ἔσται, uti ipse loquitur. Vid. c. 1. § 2. lib. 1. *Nicom.*

II. Illius summi Boni nullum aliud animal capax est, præterquam Homo. *Neque enim bovem, neque equum, neque aliud animal ullum, beatum dicimus.* 1. *Nicom.* 9. §. 13. & 10. *Nicom.* 8. §. 30. & 32. Sed & Homo in alio atque alio statu seu vitæ genere consideratus non idem summum Bonum sequitur. Si enim illum ut Christianum, & ex aqua & spiritu renatum consideraveris, finem supranaturalem & bonum divinissimum, Vitam æternam, irretorto oculo is semper spectat. Deinde Homo considerari potest, ut ζῶον πολιτικόν, cui Natura pro ultimo fine proposuit εὐπραξίαν, omnis generis virtutes morales, earumque operationes. Denique cum Homo sit compositus ex anima & corpore, atque anima & super corporis & civilis societatis curam ac negotia se aliquando attollat, & cum aliarum rerum sublimium, tum inprimis DEI ipsius contemplationi vacet, & ex ea liquidissimam voluptatem capiat; & hanc vitam theoreticam viventibus diversum summum bonum præstitutum esse certum est. Sed interest hanc ipsam differentiam Hominis, ut vel est ζῶον πολιτικόν, vel in ipso est θεϊόν τι ex Philosopho cognoscere. Ita vero ille 10. *Nicom.*

Nicom. 7. §. 33. εἰ δὴ θεῖον ὁ νῦν πρὸς τὸν ἄνθρωπον,  
καὶ ὁ κατὰ τῆτον βίος θεῖος πρὸς τὸν ἀνθρώπινον  
βίος. *si enim divinum quid hominis respectu mens est, etiam  
ea, quæ secundum mentem est, vitæ humana respectu, vitæ est  
divina. Ubi cum primis meretur notari, opponi hic à  
Philosopho νῦν & ἀνθρώπου, deinde βίον θεωρητι-  
κὸν seu θεῖον, & τὸν ἀνθρώπινον βίον. Quæ ele-  
ganter in suo commentario ita exprimit Eustratius h. l.  
Si intellectus divinum quid est, si ad hominem respiciamus, id est,  
si absoluta ab his inferioribus mens, & abstracta divinior longè est,  
quàm & quæ materiam respicit, ad eamq; propendet: sic vitæ  
illius, quæ secundum mentem operatio est, humanâ vitâ, id est  
civili felicitate longè erit divinior. Et huc Plato penè o-  
mnem suam Philosophiam retulit. Nec malè. Nam  
summa ope nitendum est, ut quantum licet mortalitatis conditio-  
ni nos eximamus, omniaq; agenda, ut secundum eam partem no-  
stri, quæ præstantissima est, vivamus. Hæc enim etsi mole exi-  
gua est, facultate tamen & honore longissimè cæteris omnibus  
antecellit. Verba sunt Aristotelis 10. Nicom. 7. §.  
35. & 36.*

III. Cæterum cum in fæce Romuli versemur,  
& nec adfectus nostros ita compositos, aut vitæ civi-  
lis rationes ita exactè subductas habeamus, quò ad  
rerum divinarum theoriam adsurgere, eique unicè  
nobis ac pacatè vacare liceat; age, ad summum Bo-  
num πρᾶκτὸν, seu ἀνθρώπινον revertamur. Atque  
hoc ipsum quasdam habet partes essentielles, quas-

dam integrantes seu accessorias. Ictas in εὐπραξία  
consistere dixi. Ita enim illud definit, quod sit  
*operatio animæ rationalis secundum virtutem optimam & per-*  
*fectissimam in vita perfecta.* 1. *Nicom.* 7. Accessoriæ partes,  
συναριθμύμενα ἀγαθὰ dicta Aristoteli 1. *Nicom.* 7.  
§ 25. sunt bona corporis & fortunæ, aliave bona ci-  
vilia, quibus Beatus utitur partim tanquam instru-  
mentis, partim tanquam ornamentis. Quæ omnia u-  
bi adsunt, unoque quasi choro sociantur, ibi & perfe-  
cta est Felicitas civilis, & quæ huic inest, sincerissima  
voluptas, mentisque tranquillitas ac securitas.

IV. Huc igitur cum delati simus, decretumq;  
nobis sit de Securitate philosophari, homonymiã vo-  
cis necesse est ut explicemus, quo appareat, de qua  
Securitate propriè, ac præcipuè simus acturi. Primò  
igitur est quædam Securitas bonæ mentis seu consci-  
entiæ, de qua paulò antè dictum est. Cum enim  
Deus certum homini finem præfixerit, eiq; hunc con-  
tingere non liceat quibuslibet actionibus, sed certò  
modo ac qualitate adfectis, Juribus Naturæ confor-  
mibus, atque his ipsis Obligationis auctoritatem indi-  
derit, facienda fugere, & fugienda facere sine pecca-  
to Homo non potest. Et cum spes impunitatis ille-  
cebra peccandi esse soleat, ejusmodi malitia homi-  
num apud Dei providentiam certò repositas habet  
pœnas. Deus enim qui est, ipsa est Justitia, Justitia  
vero



vero pro bonis bona, pro malis mala retribuit. Atq; has pœnas ab improbis Deus malæ anxietatisque conscientia flagello sæpe exigit. E contrario Boni, observatis Naturæ legibus, omnique vita ad illarum normam composita, certi esse possunt, se Deum habere propitium, & bonitatis divinæ promulsi dem in tranquillitate animæ & bonæ conscientia voluptate sentiunt, securi adversus Deum hominesque, ut Taciti verbis hoc exprimere liceat. *Magna enim est vis conscientia, & magna in utramque partem, ut neque timeant, qui nihil commiserunt, & pœnam semper ante oculos versari putent, qui peccarunt: inquit Cicero pro Milone. Atque idem de hac securitate ita differit, 1. Officior. Capessentibus Rempubli cam nihil minus quàm philosophis, haut scio an magis etiam & magnificentia, & despicientia adhibenda est rerum humanarum, quam sæpe dico, & tranquillitas animi, atq; securitas: siquidem nec anxii futuri sunt, & cum gravitate constantiaq; victuri. Quin etiam disertius idem de hac loquitur Dialogo de Amicit. ubi ait, caput esse ad beatè vivendum securitatem. Et §. de Finibus: Democriti securitas, qua est animi tanquam tranquillitas, quam appellant Euphuia, eò separanda fuit ab hac disputatione, quia ista animi tranquillitas ea ipsa est beata vita. Sed de hac securitate plura hic dicere non constituimus: quæ vero dicta sunt, ad evolvendam æquivocationem necessaria visa fuerunt.*

V. Multò minus nobis hic agere propositum est de illa Securitate, quæ Felicitatem civilem vel im-

pedit, vel ei adversatur. Talis est quæ ab imprudentia,
 supina negligentia & oscitantia prodire solet. Hinc
 Vellejus Paterculus *lib. 2.* de Arminio Quintilium
 Varum aggressuro ait, quod sit *haut imprudenter specula-*
*tus, neminem celerius opprimi, quam qui nihil timeret: & fre-*
*quentissimum initium esse calamitatis, securitatem.* Minimè
 omnium de illa securitate quidquam tradere animus
 est, qua velut Bacchi thyrsu percussi homines pror-
 fus improbi laborant, qui vitiorum cœno tam pro-
 fundè sunt immerfi, ut discrimen boni aut mali, ho-
 nesti atque inhonesti non amplius cernant, sed in di-
 em viventes genio effusè indulgent, quibusque adeò
 quod libitum est licitum quoque esse videtur, cœ-
 lestis Numinis iram Legumque autoritatem non
 magis reverentes, aut metuentes, quam ne cœlum
 ruat.

VI. Sed de illa Securitate nostra instituetur
 disquisitio, quæ est bonum civile, *συναριθμημένον*
 seu connumeratum Felicitati civili, omnium bono-
 rum accessoriorum ferè maximum, eorumque, ut &
 animi bonorum commune quoddam præsidium &
 scutum. Quam proinde rudi penicillo hunc in mo-
 dum delineabimus, *quod securitas sit bonum civile commu-*
*nissimum, tranquillitatem animæ concilians, circa operationes seu*
*usus, dominium & possessionem reliquorum bonorum civilium.*
 Dixi me quandam Definitionis *ὕψος ὑπὸ πῶσι* seu

*περί-*

περιγραφήν, daturum, quam alii exactiori ἀναγρα-  
φή poterunt διαρθρώσαι; ceu in simili re loquitur  
Philosophus 1. *Nicom.* 7. §. 48. & 49. præsertim  
quod aliorum opera in hoc argumento parùm sibi ad-  
jutus, idque ne quidem attentaverit quisquam, quan-  
tum mihi compertum est, præterquam Guilielmus  
de Cuneo seu de Cumis, gente Gallus, qui claruit cir-  
ca annum Domini 1310. cujus una atque altera hac  
de re pagina exstat: & Jo. Georg. Bechtius *disp. de secu-  
ritate & salvo conductu*: de quo infra *tb.* 23. Speciatim  
quoq; egit de securitate promissionum Petrus Premus.

VII. Quod si tradita Descriptio non satis ma-  
nifestam dederit naturam securitatis, contrarium ejus  
videamus, ut ex illa oppositione rectius quid illa sit  
appareat. Securitati igitur videtur maximè contrari-  
ari mali alicujus Metus. Malum illud formidatum vel  
posset venire nomine Periculi, vel Damni: quæ duo  
vocabula cum etiam in *l. 71. ff. de V. S.* disjunctivè  
ponantur, in iis hoc discrimen nonnulli observant,  
ut Periculum personas, Damnum res concernat. Sed  
hæc distinctio apud *JCtos* perpetuum non invenit lo-  
cum, ceu videre est ex *tit. ff. de peric. & com. rei vend.*  
Quod enim ibi passim de periculo rei venditæ statu-  
tum legitur, expressè Damnum dicitur *l. 8. pr. v. sa-  
nè si. ff. eod.* Ita quoque recepta dicuntur nautæ esse  
periculo *l. 4. ff. naut. caup.* Plura exempla collegit  
promi-

promiscuæ hujus significationis Goeddeus ad *d. l. de. V. S.* Talem igitur nos securitatem intelligimus, cui metus alicujus mali opponitur; sive id Periculi, sive Damni nomine veniat.

VIII. Dixi securitatem esse Bonum civile. In Civitate itaque locum potissimum habet. Etiam si enim in simplicioribus Societatibus etiam requiratur, quin & in latissime patente societate humana; cum tamen Civitas ex istis simplicioribus coaluerit, atque Homo ex Aristotelis sententia, non temerè rejicienda, sit φύσει ζῷον πολιτικόν, naturâ animal civile, rectè videtur dictum esse, quod illa ipsa cum aliorum bonorum gratia, tum securitatis causa etiam sit quondam inita. Vid. Aristot. 3. *Polit. c. 4.* In qualibet Civitate sunt Personæ & Res, eæque cum Publicæ, tum Privatæ: quibus omnibus de securitate prospicitur.

IX. Sed quibus mediis aut præsidiis illud fit? Duobus ni fallor, potissimum Legibus, & Armis: unde prudenter hæc duo in proœmio Institut, conjunguntur Justiniano. Leges intelligo duplicis generis: propriè, & impropriè dictas. Istæ sunt, quæ à Majestate civili feruntur, jure νομοθεσίας proprio ipsi competente. Hæ sunt Pacta. Pactum enim est lex privatorum, inquit Aristoteles in Rhetoricis. Sed & ab eodem allegatus Lycophron Sophista idem confirmat

mat

mat 3. Polit. 6. p. 168. etsi nonnulli Interpretes istam propositionem ibi aliter accipiant. Deinde à Legibus non excludo ipsos νομοφύλακας, ceu νόμος ἐμψύχως. Nicom. 4. §. 21. l. 8. ff. de J. & I. absq; horum enim prudentia & vigilantia si esset, Legum autoritas admodum foret exilis, imò nulla. Armis quoque securitatem procurari conservarique, notius est, quam ut probatione indigeat. Interim in progressu etiam de his plura dicentur. Non igitur omnino vera est definitio Guil. de Cuneo, dicentis *securitatem esse legitimum præsidium, quod justè timenti periculum vel damnum sibi inferri præstatur officio præsentis*. Mox addit, quid intelligi velit per præsidium legitimũ, videlicet auxilium à lege introductum, sicut eo ferè modo dicitur legitima conventio, quæ lege confirmatur. l. 6. ff. de pact.

X. Personas & Res in quavis Republica vel Publicas vel Privatas esse diximus, iisque omnibus Securitatem esse præstandam, qua quando reapse fruuntur, Pax esse dicitur. Est enim Pax quædam securitas. Ideo enim bella gerimus, vitæ discrimen subimus, aliaque pericula & calamitates sustinemus, ut in Pace nobis vivere liceat. Quæ igitur Pax plenam securitatem non habet, sed cum metu malorum est conjuncta, vera Pax non est. Hinc Cicero 1. Offic. ait, *suâ sententiâ paci semper esse consulendum, sed cum hac restrictione, quæ nihil habetur a sit insidiarum*. Non igitur ejus-

B

modi

modi Pax cum hoste ineunda est, quæ majori Rempublicam periculo exponat, quæque nos contemptibiles, hostes autem audentiores reddat. Ratione igitur Personarum & Rerum sive publicarum sive privatarum, dividi Securitas potest in Publicam & Privatam. Et cum Publica securitas sua commoda in omnes Civitatis partes & membra diffundat, de ea jam pluribus agere constituimus.

XI. Publica Securitas primò concernit ipsam Rempublicam, seu eos, in quorum manu est Respublica: quibus sanè omni ope & consilio adstruenda securitas est. Qui enim omnibus & singulis subditis eorumque rebus de securitate prospicere debent ratione officii, illos oportet esse securissimos, & à periculi metu remotissimos. Atque hac de causa gravissimè semper in illos animadversum fuit, qui in his securitatem læsissent, Perduelles dicti. *Non enim quisquis Legis Juliae Majestatis reus est, in eadem conditione est; sed qui perduellionis reus est, hostili animo adversus Rempublicam, vel Principem animatus: inquit JCtus l. ult. ff. ad l. Jul. Maj. Læditur enim Majestas vel in dignitate, vel in securitate. Securitas item dupliciter lædi potest, vel in ipsis illis, qui Remp. sustinent, & Perduellio in specie dicitur: vel in iis, qui magistratus jure imperant, & Majestatis civilis vicem sustinent, & quasi Perduellio dicitur. Hinc quando idem JCtus Ulpianus*

anus

anus *l. 1. d. t.* Majestatis crimen esse dicit, quod adversus populum Romanum, ejusve securitatem committitur, præcipuam ejus speciem respicit.

XII. Proinde cum varia possit esse Jurium Majestatis distributio & communicatio, quotquot eorum sunt participes, in eos Perduellio propriè committitur. Unde qui docent, in Electoribus & Ordinibus Imperii lædi Majestatem hæctenus, quatenus sunt Cæsaris consiliarii, non autem propriè hoc crimen Perduellionis esse, valde mihi videntur rerum nostrarum imperiti. Verum aliàs est, quod etiam Securitas Publica lædatur in Majestatis civilis Magistratibus, Senatoribus, militiae præfectis, judicibus publica autoritate in imperio constitutis: ceu videre est ex rigidissima *l. 5. C. adl. Jul. Maj.* repetita pari gravitate in Aurea Bulla.

XIII. Nec solum Magistratibus, sed & ipsorum ministris, sine quibus vel Jurisdictio, vel alia munia publica expediri nequeunt, securitas publica debetur. Quò pertinet, ne facinorosi à Judice apprehendi jussi se lictoribus opponant. Nam ubi offensio est licita, ibi defensio est prohibita. *arg. l. 9. ff. de jurisdict.* Eadem debet esse securitas Nuntiorum Publicorum: absque qua si foret, illa certè expediri nequeunt, quæ iis commendantur *O. C. part. 1. art. 32. seq.* Etiam Constitutione Criminali Carolina art. 97. sancita est

securitas Carnificis, ne quis illi supplicia exsecuturo impedimentum adferat, eive minus dextrè officium facienti noceat, & violentas manus inferat: quæ securitas ibi vernacula nostra appellatur *des Nachrichters Fried.*

XIV. Publica etiam debetur Securitas iis, qui munus aliquod tempore aut certa expeditione definitum, publica que autoritate demandatum, pro Rep. sustinent, veluti Legati, qui perinde ut Tribuni pl. quondam apud Romanos ea propter & sunt & dicuntur Sacrosancti, hoc est, inviolabiles, jure gentium, l. 8. §. 1. ff. de divis. rer. unde Legatorum Papinio *sanctum populis per secula nomen.* Operæ pretium est cognoscere, quantam his Securitatem tribuat Cicero de Auspicum responsis: *Sic enim inquit, sentio, jus legatorum cum hominum presidio munitum, tum etiam divino jure esse vallatum.* Nec solùm pacis, sed & belli negotia tractantibus Legatis, eadem debetur securitas, nisi jure suo abusi fuerint. Ita enim docet Pomponius l. ult. ff. de legation. *Si quis legatum hostium pulsasset, contra jus gentium id commissum esse existimatur: quia sancti habentur legati. Et ideo, si, cum legati apud vos essent gentis alicujus, bellum cum eis indictum sit? Responsum est, liberos eos manere; id enim juri gentium conveniens esse. Itaq; eum, qui legatum pulsasset; Quintus Mutius de di hostibus, quorum erant legati, solitus est respondere.* Add. Grotius 2. de J. B. P. cap. 18.

XV. Publica quoque dici potest Securitas, quæ



quæ Legibus summam Reip. concernentibus est  
sancita. Id vero fit vel sine respectu ad alias Resp:  
vel inter diversas Respp. quæ certis conventioni-  
bus & pactis sibi mutuò securitatem ejusque gratia  
auxilium stipulantur & promittunt; Atque hæc  
sunt Fœdera, securitatem ac felicitatem cum perso-  
narum tum rerum promoventia. Fœderum appel-  
latione etiam sponsiones & pactiones alias publico  
nomine initas comprehendo: quorum differentiam  
legere licet apud Grotium 2 de I. B. P. c. 15. Fœde-  
rum alia sunt comparata ad *συμμαχίαν*, hoc est se-  
cundum Thucydidem, *τὰς αὐτὰς ἐχθρὰς καὶ φί-  
λους νομίζειν*, eosdem hostes & amicos habere. Tali fœdere  
continentur septem provinciæ Batavicæ, Fœderatæ  
inde dictæ: Tali quoq; fœdere sociati sunt Pagi Hel-  
vetici: cujus fœderis natura nō rectè perspecta multos  
in eum errorem seduxit, ac si una sit Resp. Batavica,  
& una Helvetica. Alia vero Fœdera solùm iniri so-  
lent ad *ἐπιμαχίαν*, veluti ad certum bellum, aut in  
certos hostes, aut in omnes quidem, sed exceptis so-  
ciis, aut finium duntaxat tuendorum gratia. Sunt  
etiam Fœdera alia Æqualia, alia Inæqualia. In  
inæqualibus, ubi ab uno majora promittuntur auxi-  
lia, quàm ipsi vicissim debeantur, aut is planè nulla  
sibi restipulatus est, plus aliquando est præsidii & se-  
curitatis, quàm in æqualibus; cætera si sint paria.

Perfidiam enim hominum , aliosve eventus quo pacto evitare debeas ac possis , Prudentiæ opus est , qua pacificens & suum & foederatorum animos mores viresque cautè ac provide ponderabit.

XVI. In singulari aliqua Rep. Securitas ex Legibus publica potest esse multiplex, sive Personas sive Res concernens. Generalis cum primis illa lex est, quæ prohibet omnem vim publicam. Illa ferè à JCrts exerceri accommitti dicitur armis. Perezius ad *l. Iul. C. de vi publ.* Vim publicam describit, quæ cum armis & violentia committitur, vel à persona publica, vel in personam publicam, vel quæ violat jus publicum. v. g. Qui arma, tela, domi suæ agrove, in villa, præter usum venationis, vel itineris, vel navigationis coëgerit. Qui turbæ seditionisve faciendæ consilium inierint, servosve aut liberos homines in armis habuerint. Qui seditione villas expugnauerint, & cum telis & armis bona rapuerint. Qui feminam per vim stupraverit. Qui possessorem domo agrove suo hominibus armatis dejecerit. Qui cum imperium potestatemve haberet, civem Rom. adversus provocationem necaverit, verberaverit. Qui dolo malo fecerit, quo minus judicia tutò exerceantur, aut iudices, ut oportet, judicent. *t. t. ff. C. ad l. Iul. de vi publ.* Horum igitur omnium facinororum vetitorum prohibitio & omissio ad securitatem facit publicam. XVII.

XVII. Quin etiam ex consuetudinis aut singularis sanctionis jure quibusdam locis quædam sanctitas & major tribuitur securitas, veluti Principum arcibus aulisque, castris, curiisque: quibus insigne Pacis aut securitatis adfigi solet, **Burgfriden** nostrates appellant: eo fine, ut ejusmodi reverentia ac sanctitate monitus quisque eo diligentius paci studeat, neminemque lædat. Secus enim qui fecerit, vim publicam commisisse creditur, & modò manu, modò capite ipso truncatur. Sed & alia consuetudo olim nomine **des Burgfridens** obtinuit in Germania. Cum enim ante factam promulgatamque Pacem Publicam in Germania loca & itinera à latronibus factiosisque hominibus haberentur infesta, suisque incumberent arcibus & receptaculis, rapinis prædisque intenti; quidam Nobiles munitas arces exstruxerunt, inque eas se familiamque suam, & suppellectilem pretiosiore receperunt, ne quibusvis paterent invasio- nibus. Et ut vim majorem fortè ingruentem promptius depellere possent, quasdam societaes & *Q̄ra- r̄gias* cum aliis instituerunt, certis conditionibus & legibus, quas dixerunt **den Burgfrid** vel **Burghut**. Vid. *Besoldus Thes. Pract.* *Speidelius* in suo *Speculo* *VVehnerus obs. pract.* *Rec Imp. de Anno 1521. tit.* **Wider der Banerben Schlos.**

XVIII. Sancti quoque sunt Muri civitatis. Quod enim securitatis gratia comparatum est, non  
imme-

immeritò ab injuriis & violationibus præ aliis rebus  
tutum præstatur. *Sanctum enim est, quod ab injuria homi-  
num defensum atque munitum est; Jctus Marcianus l. 8.  
ff. de divis. rer.* Pluribus idem interpretatur Ulpianus  
*l. 9. §. 3. ff. eod.* Propriè, ait, dicimus *Sancta*, que neq; *sacra*, neq;  
*profana sunt*, sed *sanctione quadam confirmata*: ut *Le-  
ges sancte sunt*; *sanctione enim quadam sunt subnixæ*. Quod  
enim *sanctione quadam subnixum est*, id *sanctum est*, etsi Deo  
non sit consecratum. Et interdum in *sanctionibus* adjicitur,  
ut qui ibi aliquid commisit, capite puniatur. Hujusmodi  
sanctione tuta & inviolabilia redduntur etiam illa  
loca, quibus Asyli jus tribuitur, à quibus olim non  
sine summo piaculo quis avellebatur. Hoc jus cum  
Græci tum Romani veteres suis tribuebant Templis  
quibusdam & aris: quale erat Templum Delphicum.  
Unde etiam pecuniæ isthic deponi solebant: quas  
cum olim Philomelus ex illo templo sustulisset, acer-  
rimo bello collisi sunt Phocenses & Bœoti, quod in-  
de Sacrum fuit dictum. Romulus inter Palatium & Ca-  
pitolium in sacro loco, quod Quercetum dicitur,  
amplificandæ novæ Urbis gratia tale asylum sanxit.  
Notum quoque est, etiam Iudæis fuisse sua opida re-  
fugii. Eodem zelo perciti Principes Christiani hoc jus  
Ecclesiis locisque dedicatis tribuerunt, & crimen læsæ  
Majestatis interpretati sunt, si quis ad Ecclesias confu-  
gientes invitos abstraxisset *l. 2. C. de his qui ad Eccles. con-*

*fug.*

*fug.* Et in *l. 2. C. de crim. sacril.* decernitur, quod qui con-  
fugientem ad sacram Ecclesiam sua autoritate abstra-  
xerit, verberetur, & tonsus deportetur. Quid quod  
Leo Imp. nullos penitus cujuscunque conditionis  
homines, liberos sive servos, ob debitum vel de-  
lictum fugientes de sacrosanctis Ecclesiis expelli aut  
extrahi permittat: his, qui hoc moliri, facere, aut  
nuda saltem cogitatione ausi fuerint tentare, ultimo  
supplicio afficiendis. *l. 9. C. de bis qui ad Eccl.* Imò adeo  
sancta voluerunt hæc esse loca, ut qui jure asyli in Ec-  
clesiis frui vellet, ad illas sine armis & telo provola-  
ret. Sunt tamen, quibus jus asyli denegatur, licet con-  
fugerint ad Ecclesias: de quibus videri potest *Novel.*  
*17. c. 7.* Hoc asyli jus etiam alii Impp. ad statuas Prin-  
cipum extenderunt, ut, quemadmodum Ecclesiæ, ita,  
& hæ statuæ securitatem ac præsidium præberent, si-  
ve liberis sive servis. *l. un. C. de bis qui ad stat. confug. & §. fin.*  
*Instit. de his qui sui vel al. jur. sunt.* Cæterum cum impro-  
bi homines hoc præsidio abuterentur ad invidiam  
aliis conflandam, cautum illa lege est, præsidio debe-  
re esse statuas non nisi ex justa causa, vitandi metus,  
seu violentiæ, injuriæ & periculi gratia, ad illas con-  
fugientibus. De abusu hujus juris ita loquitur Ta-  
citus 3 *Ann.* *Incedebat deterrimo cuiq; licentia impunè probra,*  
*& invidiam in bonos excitandi arrepta imagine Caesaris.* Et me-  
morat ibidem C. Cæstium Senatorem hoc abusu  
C com-

commotum, in senatu diu multumque contendisse, ut ea vis & autoritas imaginum aboleretur, hac usus ratione inter alia, Principes instar Deorum esse, sed neque à Diis nisi justas supplicum preces audiri, neque quemquam in Capitolium aliave Urbis templa perferre, ut eo subsidio ad flagitia utatur. Hunc vero abusum D. Pius ita compescuit, ut tales nebulones in vincula publica conjici jussit, *l. 28. §. 7. ff. de pœn.* Add. Cujacius *12. Observ. c. 29.* Hinc licet Athenis sanctissima esset Ara Misericordiæ, sapienter tamen Sophocles sensit: cujus versus eleganter translatos, ut & alia egregiè de hac re notata legere licet apud Grotium de *J. B. & P. l. 2. c. 21. n. 5.* Versus illi hi sunt:

*Hunc qui facinorum conscius, nec legibus  
Fidens, ad aras volvitur supplex Deum,  
Trahere ad tribunal nulla religio mihi:  
Mala semper equum ferre, qui fecit malè.*

XVIII. Pro publica etiam securitate excubant in urbibus Vigiles, qui circa portas murosque sunt dispositi, aut plateas obambulant, cum alia pericula, tum incendia, effractus ejusve generis alia mala avertentes *t. t. ff. de offic. pref. vigil.* quos si quis armis adoriatur, & ipse vim publicam patrasse, & violasse den **Stadtfrieden** dicitur. Ita si quis infestis armis in domum alicujus irrumpat, januam effringat, fenestras excutiat rapiendi aut nocendi animo, aliosve, ut

ve, ut talia faciant, manu sua & exemplo excitandi, aut planè opprimendi hominis ibi latitantis gratia, is dicitur violasse den Hausfrieden. Sua enim cuique domus tutissimum debet esse refugium ac receptaculum *l. 18. ff. de in jus voc.*

XIX. Imperii Romano Germanici securitati publicæ præprimis prospectum iuverunt gloriosissimi Imperatores per Constitutionem Pacis Publicæ, quàm vulgo den Landfrieden dicimus. Cum enim tempore Interregnorum, cumque perexigua Cæsarū esset autoritas, *χρησθῆναι* das Faustrecht invaluisset, nemo jure sed vi sua repetebat, pro libitu in alterius territorium involabat, de possessione alios dejiciebat, & planè Cyclopum more in manu jus erat positum. Cui barbaro mori sanctissimam opposuit Legem hanc Maximilianus I. VVormatiæ conditam Anno 1499, & Augustæ Anno 1500. promulgatam. Eandem quoque sua autoritate confirmavit & dilucidavit Carolus V. VVormatiæ Anno 1521. Noribergæ 1522. Augustæ Vindellicorum denuo renovavit Anno 1548. Et post hos alii illorum Successores variis Recessibus, & tandem sanctione Pragmatica Instrumenti Pacis eandem repetierunt. Et ut tanto major hujus Constitutionis esset autoritas, publica que pax & securitas ubique locorum vigeret, & Judicium universale Spirense fuit

institutum, accuratissimisque formulis ordinatum: cujus sententiæ ut tantò rectius obsequium præstaretur, aut in refractarios promptius pœnarum exsecutio expediretur, in certos quoque Circulos Imperium dividi tum quidem consultum visum fuit, Add. Gailius, qui peculiarem Tractatum de Pace publica conscripsit. Etiam Pacis Publicæ quædam quasi appendix haberi queat Constitutio lata de litigiosa possessione, turbas fortè publicas datura, ejus sequestratione. *Vid. Ord. Cam. p. 2. t. 21.* Nec non Constitutio Pignorationis: de qua *vid. Ord. Cam. p. 2. t. 22. Gail. 1. Observ. c. 5. & 8.* & peculiari libro de *Pignorationibus.*

XX. Huc etiam omnino pertinet Pax Imperii Religiosa *der Religionfrieden.* Etsi enim in Germania unus ab omnibus credatur esse Deus, modus tamen illum colendi apud diversos admodum est diversus: quorum una pars eò vesaniæ progressa fuit, ut conscientias, quæ mitissimis debebant tractari remediis, ferro, flammis & nullo non malorum genere constringere, & ad adfensum compellere allaboraverit. Ex hoc itaq; capite, religionis inquam causâ, nō solum conscientiæ, sed & publica civilis securitas omni vi fuit oppugnata, concitatis in plusquam civilia & horrida bella omnium animis; donec Pace Passaviensi Anno 1555 securitas conscientis rebusque Imperii



perii civilibus fuit reddita. Sed cum hinc atque hinc denuo illa vellicaretur, limisque oculis altera pars alteram adspiceret, denuo ad funestissima arma conclamatum fuit. Nec minus acriter calamo quam ferro disceptatum de hac causa fuit. Illaque scripta vel privata fuerunt, vel publica. Prioris generis penè sunt innumera. Hæc in unum collecta sunt Volumen tribus distinctum partibus à peritissimo ac diligentissimo rerum Germanicarum scriptore Christophoro Lehmanno appellata *Acta publica Pacis Religiosæ*. His addi debent, quæ in Recesibus Imperii præterea leguntur. Postrema quæ huic causæ pax fuit data, multo parta sudore & cruore, Instrumenti Pacis formula est comprehensa, eaque securitas publica extensa fuit etiam ad Reformatos, Osnabrugi & Monasterii VVestphalorum Anno 1648.

XXI. Præterea & Viis publicis major quædam securitas asserta fuit ut minori periculo & vita, & corporis integritas & commercia euntium aut peregrinantium essent exposita. Itaque quo facilius & proclivius spe impunitatis latrones & præmiatores homines involant spoliantque, eò diligentius viarum securitas defendenda est ab iis, ad quos illa cura pertinet. Sunt autem Viæ publicæ vel Urbanæ, vel Regiæ quæ dicuntur. Istasquod attinet, eximium providæ curæ exemplum habemus in Jure Roma-

no. Si enim in eum locum, quò vulgò iter fit, aliquid dejectum vel effusum fuisset, nocitumque cuiquam esset, Prætor actionem in factum dabat in eum, qui cum quid dejiceretur vel effunderetur, inhabitabat. *l. 1. § 4. ff. de his, qui effud. vel dejec.* Et ut culpa securitatem publicam violantis puniretur, dabatur actio in duplum, siquidem damnum fuisset datum illi rei seu corpori, quod æstimationem recipit. Præterea si dejectione liber homo fuisset oppressus, actio erat Popularis. *l. 5. § 5. d. t.* cujus rei hanc tradit rationem *V Vesenbecius. Popularia enim,* ait, *esse debent, quæ ad communem civium salutem, vindicanda, ea, quæ ei nocere videntur, pertinent.* Quin etiam ultra progressus est Prætor, & altero Edicti capite ait, se iudicium in factum solidorum decem daturum, si quis in suggrunda protectove supra eum locum, quò vulgò iter fit, id positum habeat, cujus casus nocere cui possit *l. 5. § 6. seqq. d. t.* Datur hæc actio in eum, qui posuit, sive nocuerit id, quod positum erat, sive non nocuerit. *d. l. 5. § 11. & 12.* Atque hæc actio item Popularis est, *καθολικὴ* appellata in Synopsi Basilic. *Causam hujus Edicti habuit Prætor hanc: Publicè enim utile est, sine metu & periculo, per itinera commeari. l. 1. § 1. Et §. seq. semper ea loca, per quæ vulgò iter solet fieri, securitatem debent habere.*

XXII. Et quo frequentionibus injuriis ac periculis in regiis viis patere possint homines tantò major

jor

jor diligentia & severitas adhibenda est coërcendis  
graflationibus. Itaque Majestas civilis enixè id da-  
bit operam, ut viæ illæ regiæ sint quam tutissimæ:  
id quod maximo & ipsius & subditorum aliorumque  
peregrè euntium fiet bono. Juvat hic adscribere  
quædam verba Petri de Andlo de *Imper. Rom. lib. 2. c.*  
*18.* quibus Fridericum III. Imp. aliosque Imperii  
Principes sui officii monuit: *Decorare pacem, inquit,*  
*remq; publicam perturbantes compescere, Imperatoris & cujusq;*  
*principis maximè proprium esse debet, idq; magnopere curare, ut*  
*stratas viatores habeant securas. Via namq; publica commu-*  
*nes sunt omnibus non modò legibus gentium, sed & jure quodam*  
*natura, propter quod prohibentur à nemine occupari, nec ullo*  
*temporis cursu præscribi possunt. Qua ex re princeps & quisvis*  
*alius dominus territorium habens tenetur de roboraria & de præ-*  
*datione viatorum intra suum territorium facta, si fuit sciens &*  
*potuit prohibere, secundum omnes utriusq; Juris Doctores. Prin-*  
*cipes enim tenentur custodire justitiam in terra: Unde si per eo-*  
*rum defectus latrones increscant, ad restitutionem tenentur: quod*  
*reditus quos habent, sunt quasi stipendia ad hoc instituta, ut ju-*  
*stitiam & pacem conservent in terra. Et quo magis principes*  
*ad hanc securitatem promovendam promptiores existerent, legi-*  
*bis permissum est eis, Imperatoris tamen autoritate, à transe-*  
*untibus pedagia & telonia exigere. Cedit præterea non modo*  
*in laudem principis, sed in utilitatem quoque maximam ipsius*  
*redundat vias publicas tenere securas, propter confluum homi-*  
*num ac mercimoniorum, per quæ domivia plurimùm ditari so-*  
*lent &c. Quam necessaria harum viarum sit securitas,*  
*veteres affatim testati sunt, dum θεὸς ἐνοδίων, & La-*  
*res*

res Viales illis præfides dederunt. Testantur idem complures saluberrimæ leges & constitutiones, quibus Legislatores viarum securitati prospicere voluerunt. *In mandatis Principum est, inquit Paulus l. 3. ff. de off. Præs. ut curet is, qui provincia præest, malis hominibus provinciam purgare.* Et Ulpianus l. 13. ff. eod. *Congruit bono & gravi Præsidi curare, ut pacata ac quieta provincia sit, quam regit? quod non difficile obtinebit, si sollicitè agat, ut malis hominibus provincia careat, eosq; conquirat. Nam & sacrilegos, latrones plagiarios, fures conquirere debet: & prout quisq; deliquerit, in eum animadvertere: receptoresq; eorum coërcere, sine quibus latro diutius latere non potest.* Et l. 28. §. 10. ff. de pœn. ita statuitur: *Grassatores, qui prædæ causa id faciunt, proximi latronibus habentur: & sicum ferro aggredi, & spoliare instituerunt, capite puniuntur, utiq; si sæpius, atq; in itineribus hoc admiserunt: ceteri in metallum dantur, vel in insulas relegantur.* Si igitur ejusmodi pœnis excipiendi sunt grassatores, qui prædæ causa grassantur, quantò severius in eos est animadvertendum, qui & prædæ & homicidii causa vias obsident & infestant. Hinc licet regulariter armorum usus in scio Principe interdictus sit *l. un. C. ut armor. usus in sc.* cuius tamen integrum est in itinere insidias armis depellere; *melius enim est occurrere in tempore, quàm post exitum vindicare.* Vestram igitur (inquiunt Impp.) vobis permittimus ultionem, & quod ferum est punire iudicio, subjugamus edicto, nullus parcat militi, cui obviare telo oporteat, *ut latroni. l. 1. C. quan. lic. unic. sin.* Et l. 2. C. eod. decernitur ita: *Cuncti adversus latrones publicos*

publicos desertoresq; militia jus sibi sciant pro quiete communi exercenda publica ultionis indultum. Contra hujusmodi militum ac grassatorum intestas discursationes multæ eæque gravissimæ leges etiam in nostro Imperio fuerunt conditæ, cum primis cum illa *χεροδινη* & vita *λησρικη* esset compescenda: de quib. dixi supra. Continentur illæ in variis Imperii Recessibus, præcipuè Pace publica, *Landfrieden*. Quibus ipsis etiam sancitum est, ut Imperii Status omni ope ac vi securitati huic publicæ viarum prospiciant, & latrones, militesque palantes vagantesque, *Herrenlose Knechte / Kottierer / Gartierer / Landläuffer* armis exuant, debitisque suppliciis adficiant. Hi enim militiae nomen præter dentes, re ipsa sunt catuli in sylvis, inquit Bald. *in l. 1. C. qui bon. ced. poss.*

XXIII. Quemadmodum autem militiae prætextu milites, ita quoq; peregrinationis titulo nonnulli peregrinantes & commercantes armis suis ad nefarios ausus possunt abuti. Quod ne accidat, apud Italos & Hispanos, teste Lipsio in *Electis*, usu receptum est, ut neminem arma urbibus inferre patiantur, etsi rectè transire velit, sed in illa porta, per quam ingrediuntur urbem, illa deponere jubeantur, atque deposita in ea porta, quâ exeunt, recipiant. Et fortè idem mos quoque alibi obtinet, dudum jam usurpatus à Massiliensibus veteribus: de quibus *Val.*

D

Maxo

*Max. l. 2. c. 26. Intrare opidum illorum nulli cum telo licet, præstog<sup>3</sup> est, qui id custodie gratia acceptum abituro reddat, ut hospitium sua, quemadmodum venientibus humana sunt, ita sibi hospitium præstantibus sint tuta.* Peculiarem tulit legem Ferdinandus I. Imp. de Judæis iter facientibus aut mercaturam exercentibus, concernenrem die Landvogten Hagenaw Anno 1561. art. ult. Es sollen auch die Juden hinführo in unser Landvogten Hagenaw kein Wehr / oder sonderlich keine lange Wassen / auch Büchsen / Wurffbeihel / und andere verbotene Wassen / führen oder tragen; Sondern so sie also in Städten zu handeln haben / dieselben Wassen und Wehren unter in den Thor / oder in Thren herbergen lassen. Aber Brotmesser / kleine Dölch und Weidner die mögen sie wol tragen / deßgleichen auff dem Land außserhalb der Stadt mögen sie die andern ihre Wehr und Wassen auch führen und tragen. Welcher Jud sich aber der Wassen nicht massen würde / der sol jedesmal / so oft er das übertrit / mit dren Gùlden gestrafft werden.

XXIV. Sed redeamus in vias regias, unde paulum digressi sumus. Harum securitas cum solis Legibus obtineri haut possit, multis aliis remediis ac præfidiis ad eam rem uti solent potestates civiles. Nam & arces & speculas habent editas dispositasq;, in quibus militum vigilumque sunt excubiæ. Et equites alere solent, qui omnem ditionem circumeant & perlustrent, ac latrones suis latebris excutiant. Nostrate lingua dicitur das Recht des streiffens: unde Latruncu-

trunculatores dicuntur latronum persecutores illi,  
*l. 61. ff. de Iudic*: à Justiniano in *Nov. 8. λησδιών-  
ται*. Hoc genus *Iustitias errantes* apud Anglos dici  
ex Jo. Sarisberiensis Polycratico ostendit Marquard.  
Freherus ad P. de Andlo. Tales erant in Rep. Ro.  
*Irenarchæ l. un. C. de Irenarch.* qui ad provinciarum  
tutelam, quietis ac pacis per singula territoria faci-  
ebant stare concordiam: uti lex loquitur. His sub-  
erant curiosi & stationarii milites. *Limenarchæ*  
custodiam portuum tuebantur adversus piratas.  
Add. Peretz *add. t. Cod.* Cæterum quàm mala fide hi  
sæpe suo officio fungi soleant, nemini non notum  
est, ut meritò Aufoniana illusio in hos expediri pos-  
sit ex *epist. 4. ad Theonem suum*:

*An majora gerens tota regione vagantes  
Persequeris fures? qui te postrema timentes  
In partem prædamq; vocent. Tu mitis & osor  
Sanguinis humani condonas crimina nummis.  
Erroremq; vocas, pretiumq; imponis abactis  
Bubus, & in partem scelerum de iudice transis.*

XXV. Magni verò & per frequentis usus est  
in itineribus tutò perficiendis *Salvus Conductus* qui  
dicitur, veteribus Latinis *Commeatus*, vulgo *das  
Geleit*: de quo proluxa exstat *Disputatio Joh. Geor-  
gii Bechtii, de Securitate & Salvo conductu* inscripta.  
Qui cum *th. 16. Securitatem* definivisset *justum immu-  
nitatis ab offensione, damno, vel inquietatione præsidium;*

occasione *immunitatis* sæpe seductus multa aliena ad  
securitatem transtulit, quæ potius referenda sint ad  
Immunitatem aut Libertatem, bonum non minus  
latè patens, quàm est ipsa Securitas. Hoc conducen-  
di Jus, das Geleit / die geleits Herligkeit / oder die  
gleitliche Obrigkeit / in Imperio nostro competit non  
solùm Cæsari, sed & Statibus, jure superioritatis  
territorialis, uti loqui amant; etsi hoc non sit perpe-  
tuum. Aliquando enim etiam competit in territo-  
rio alieno, præscriptione fortè, aliove jure speciali.  
Exempla suppeditat Reinking. *de Reg. sec. & Ecc.*  
*class. 5. c. 4. n. 235. & 236.* De hoc jure ita loquitur Con-  
stitutio Imperii XI. zu Augspurg Anno 1548. Ferner  
zu noch mehrer beständiger Erhaltung bemelts un-  
sers Kånserlichen Landfriedens / setzen / ordnen und wol-  
len wir / daß eine jede Obrigkeit in H. Reich teutscher Na-  
tion / in ihren Fürstenthümen / Landen und Gebieten / bey  
den ihren Fürscheidung thun sol / daß die Strassen frey und  
rein gehalten / dar auff auch niemands gefangen / geschla-  
gen / beraubt / hinweg geschleiff / seiner Güter außgehas-  
ben / hinweg geführt / oder anderer Gestalt beschweret  
werden / sondern daß einem jeden / an Orten es herkom-  
men / ohne Wengering / auff sein Ansuchen ein frey / si-  
cher / gnugsam Geleit gegeben / und also männiglich zu  
Beförderung des gemeinen Nutzens allenthalben frey /  
sicher / ziehen / handeln und wandeln möge. Und da dar-  
über jemand auff der Strassen angegriffen / und obbe-  
schriebener Gestalt beschädiget würde / so sol nach Ges-  
wonheit eines jeden Ortes / an die Glocken geschlagen /  
und



und jeder Obrigkeit Umbleut schuldig und pflichtig  
sehn / in welchem auch eine jede Obrigkeit / der andern /  
deßgleichen eines jeden / deß andern nechstgesessenen Un-  
terthanen zu Hülf kommen sollen / damit die Thäter zu  
Handen gebracht / und den Beschädigten das Ihre er-  
stattet werde / welche Thäter auch / so sie betreten / ge-  
fänglich angenommen / und vermög unser Känserl. Recht  
ernstlich gestrafft / und allenthalben darunder / was  
Recht ist / fürgenommen werden sol. O optimam le-  
gem! Pertinent huc tamen verba Novellæ 161.  
*Cum leges decenter ferre non tantum summo bono est, sed sanc-  
ta accuratè custodire & ad effectum deducere, transgressoresq;  
competentibus pœnis subjicere. Quæ enim legum erit utilitas,  
si in literis duntaxat consistant, non etiam per ipsa facta atque  
opera subditis utilitatem de se præbeant? Sunt enim quæ-  
dam civitates, quæ omnia quidem probe decernunt,  
quæ sunt decernenda, legesque habent bonas atque  
utiles, sed iis non utuntur; inquit post Anaxandri-  
dem Aristoteles 7. Nicom. 10. §. 12.*

XXVI. Intelleximus ex his superioribus, si de-  
bitam securitatem per vias regias euntibus non præ-  
stiterint ii, quibus hoc incumbit, illos ad damna for-  
tè data refarcienda teneri, cum primis si eo nomine  
vectigalia, pedagia aut guidagia exegerint. Vid.  
Mynsingerus *Cent: 5. Observ. 70.* & Gailius 2. *Ob-  
serv. 64.* qui testis est, damni per prædones facti resti-  
tutionem Episcopo Herbipolensi fuisse adjudicatam:  
dicitque is dominum territorii ratione custodiæ ex

quasi delicto teneri. Memorabilis itaque vox est generosi quondam Principis Philippi Hassiæ Landgravii, dicere soliti, **das man einen Fürsten kenne bey reiner Strassen/guter Münz/und haltung bescheher zusage.** Et si Bodino fides, in Gallia si quis viatori tantillum pecuniæ in via regia extorserit, ultimo supplicio afficitur. *lib. 6 de Rep. c. ult.* Idem & Mediolani fieri propter aureum nummum ademptum notat Zieriz ad *art. 127. Constit. Crim. Carolina.*

XXVII. Duplici autem ratione salvus ille conductus solet exhiberi, vel Literis, publica autoritate ac fide conscriptis munitisque, quas vulgò **Geleidszettel oder Brieff / item Paßbrieff / Geleidt oder Freyzettel** appellant. In jure Saxonico dicuntur **Boketen.** Et hic conducendi modus vocatur, **das Schriftliche Geleidt.** Deinde fit Militibus seu Equitibus stationariis, & vernacula nostra appellatur, **das lebendig Geleidt / vel voce Gallica Convojen / à Convojer,** quod Gallis est **begleiten / mitgehn.**

XXVIII. Solent etiam quædam violentiæ ac insidiæ exerceri, quibus viæ publicæ infestantur, quæ veniunt nomine **einer Weglagerung und verwarung.** Inter quæ hoc à nonnullis discrimen constituitur, ut istud à grassatoribus & prædonibus fieri dicant; hoc ab inimicis irritatis animo vindicandi, & plerumque noctu solere contingere: quando v. g. combi-

combibones exorta rixa arma corripunt, suumque  
adversarium præteriturum opperiantur certo loco,  
eumque ex insidiis excipiunt & aggrediuntur, verbe-  
ribus aut vulneribus malè multant. Prius crimen  
ferè capitali supplicio, posterius levioribus pœnis,  
putà carcere, relegatione, fustigatione coërcetur. Be-  
soldus *in. Thes. Pract.* ex Cothmanni Consiliis Aca-  
demicis v. **Weglagerung.**

XXIX. Etsi vero de salvo conductu in genere  
aliquid à nobis dictum sit, de nonnullis tamen ejus  
nobilioribus speciebus aliquid adjicere operæ preti-  
um fuerit. Quod enim attinet maleficos ac facino-  
rosos, iis promissio securitatis aliquando fit ex con-  
suetudine & simpliciter: aliquando expressè & secun-  
dum quid. Istud fit apud nonnullos, **ben Fürstlicher  
Heimführung der Braut** / si nova nupta Principis  
alicujus pro illis curru adherentibus deprecetur, &  
à Principe ita delicti gratia fiat simpliciter. Aliis  
vero securitas promittitur secundum quid, ut inno-  
centiã quam præferunt suã jure evincant, & dicitur  
**Geleht zu ausführung gerühmter Unschuld.** Etsi  
enim citatio judicis citato securitatem reapse tribuere  
dicatur, **bringen das Geleht mit sich** / ut tutò ire re-  
dire sibi liceat; ne tamen ex carcere aut vinculis re-  
spondere cogantur cum primis alicujus criminis rei  
postulati, præter citationem etiam cautionem judicis  
exige-

exigere solent, atque ita demum citationi se morem gesturos esse profitentur.

XXX. Singularis in Imperio nostro est ille Conductus, quo Electores eorumve Legati comitati ad electionem Imperatoris Rom. eunt redeuntque, in Aureæ Bullæ Caroli IV. auspiciis *Tit. 1.* graviter sancitus. Cum enim Principes Electores præcipua quadam auctoritate ac dignitate in Imperio præfulgeant, & electuri Regem Rom, ad rem momenti maximi, ad universi Imperii salutem & commodum spectantis, proficiscantur, sub gravissimarum pænarum comminatione ille conductus per territorium & loca suæ ditionis Statibus sive mediatis sive immediatis imperatur, ne inter conductores, aut inter hos & conducendos occasione officii tam necessarij lites suboriantur: & tantorum Principum in tanta re maxima debeat esse securitas; quod aliàs etiã ad conventus publicos, curias & comitia euntium munitior soleat esse securitas, & conductus solennior. Sed & hoc habet singulare hic Conductus, ut non solum securitas, sed & rerum necessariarum satis locuples copia Electoribus eorumque comitatu præbeatur. Dixi non attendi in hac Lege subjectionem Mediatam vel Immediatam, sed potius evocari Conducentes ex ratione itineris, loci ac situs; sic ut etiam alii ab Electoribus dubio procul de conductu appellari possint, licet ii in Aurea Bulla

Bulla

Bulla disertè expressi non sint. *Ratio enim legis, ex necessitate officii Electoribus ad Electionem proficiscentibus præstandi, nullas exceptiones patitur; inquit rectè Cl. Boeclerus in suo Conductore Carolino.* Tanta enim hujus negotii gravitas est, ut ipsi Electores sint quoque Conductores, alter alterius. Ille Conductus solennior & armatus esse solet, non solùm securitatis, sed & honoris gratia, ac præire minister publicus, tubicen puta, qui publica significatione autoritatem sui principis denuntiet: Modus interim & numerus armatorum, quibus conducendi fuerint Electores, periculi opinione & *κατὰ καρὸν* æstimari debet, terminarique securitatis fine. Præterea Lex hæc exigit à Conducentibus cautionem *scriptura & juramento* firmatam, significans, eam exigi ab Electoribus jure posse, etsi fortè non semper actu requiratur. Sicuti enim liberum est, ipsum conductum petere, vel non petere, ita quoque liberum est Electoribus, cautionem exigere, nec ne. Licet enim non petierint Conductum, sufficiens tamen securitas est præstanda; quamvis fortè petentibus detur solenniori apparatu. *Sed quoniam eo tempore solennium maxima cura fuit, scriptura autem nihil certius, jurejurando nihil sanctius inter mortales habetur, adversus inimicitias, etiam ab amicis talia exigi mos & ratio fuit,* inquit Cl. Boeclerus. Quod si Electores suo nomine Legatos ad Electionem miserint, Conductor non

E

tergi-

tergiverfabitur, sibi que antè sumet censuram mandati; hoc enim ad Collegium Electorale in loco Electionis pertinet. Huic Legi si qui morem gerere detrectaverint, *Perjuri, Rebelles & negligentes* vocantur. Videntur enim hostili esse in Remp. animo, Legis hujus & dignitatis Imperii violatores. Unde etiam perjuri poena iis decernitur: & si quis Elector officium suum hac in re neglexerit, suffragio suum debet esse privatus in electione. Præter perjuri poenam, etiam Lex minitatur privationem jurium, libertatum, privilegiorum & gratiarum à sacro obtentorum imperio: tum bannum ac proscriptionem Imperialem, quod ad personas & bona immorigerorum. Qui enim summæ Reip. necessitati fidem debitam præfractè denegare velit, non immeritò extrema in se provocat poenæ exempla.

XXXII. Præterea cum hominum magna & multiplex sit Indigentia, quaesita fuerunt varia remedia, quibus illi subveniretur: eoque nomine etiam instituta fuerunt commercia. Atque hæc crescente luxu itidem creverunt, ut non solum simplici indigentia, sed & celebritati opidorum Nundinas singularibus privilegiis instructas Majestas civilis interservire voluerit. Eamque ob causam & Immunitas iis & securitas fuit solennior concessa. Loquor autem de Nundinis non quibuslibet, sed singularibus  
privi-

privilegiis Majestatis civilis ornatis: quales sunt  
Nundinæ Francofurtenses, *Messen*. Ex jure ita-  
que Romano hoc habent beneficium hæ Nundinæ,  
ut negotiatorum nemo isto tempore ad illas comme-  
ans privati debiti exigendi nomine conveniri, aut  
arresto constringi possit, sed ut mercatores securè ne-  
gotiationib. vacare queant. *l. un. C. de nundin.* Sunt ta-  
men, qui putant, debita jurata huic privilegio esse  
exempta, quod ipsum juramentum præcipuum fidei  
& securitatis tessera sit. Deinde etiam salvi condu-  
ctus privilegio hæ Nundinæ gaudent, quò mercato-  
res de rebus & personis securi tantò libentius eas obe-  
ant & frequentent. Hinc qui Francofurtensi ter-  
ritorio proximi sunt Principes, mercatores usque ad  
confinia ditionis Francofurtanæ deducunt: mitti-  
turq; Senatorum quidam cum aliqua armatorum ma-  
nu & comitatu à Senatu Francofurtensi, qui mer-  
catores justo limite solenni formula ab iis excipiat,  
& in Urbem (non tamen sine vini delibatione) por-  
rò salvos securosq; deducat. Cæterum cum huc dela-  
tus sim, non possum, quin breviter addam, quod mihi  
spectatu valde fuit jucundum. Noriberga, VVor-  
matia & Bambergæ, quæ dicitur *die alte Stadt*/gau-  
dent in Nundinis Francofurtensibus præter saluum  
Conductum etiam immunitate Vectigalium: eo no-  
mine quotannis nundinis autumnalibus die judici-

ali Nativitatis Mariæ lucem proximè præcedenti coram Scabinatu, accurrente & spectante magna hominum frequentia, à Prætore suæ immunitatis continuationem postulant, ritu antiquo & solenni. Præcedunt enim Tibicines, næcias perquam sonoras cantantes à Noribergensibus missi: hos in Curiam præeuntes sequuntur publicæ personæ à tribus illis Urbibus missæ, qui pro immunitatis privilegio confirmato Prætori (hujus enim hæc est prærogativa) offerunt craterem ligneum, eumque pondo piperis repletum, præterea pileolum admodum detritum, par chirothecarum non nimis elegantium & candidum decorticatam bacillum. Pileum illum VVormatia offert, eumq; quoties oblatum toties aureo Rhenano dato redimit. His sacris peractis, sententias expediunt in causis propositis Scabini; unde hoc Judicium dicitur *Pheissergericht*: ac postremò pari ritu ac concentu ex Curia discedunt. Sed hæc quidem postrema, cum ad Libertatem & immunitatem pertineant, obiter dicta sunt.

XXXIII. Trita quoque vox & usus est Salvaguardiæ, quæ aliquando etiam Salvi Conductus nomine venit, teste *Magero de Advocat. armat.* Est tamen inter hæc differentia. Est enim Salvaguardia illa defensio & securitas, quam superior minus potenti periculum vel damnum timenti



menti contra potentioſiorem præſtare promittit: uti  
illam deſcribit Menochius *arbitr. lib. 2. cent. 4. caſ.*  
338. Illa vel promittitur ſcripto, **Schutz und Schirm**  
**brieff** / vel hominibus armatis, **lebendige Salvaguardie** /  
quando videlicet caſtro aut opido defendendo pro-  
pugnandoque milites imponuntur. Deinde alia eſt  
Temporaria, alia perpetua. Prioris generis ſunt,  
quæ bello dari ſolent à Prætoſe ſeu Duce. Poſterio-  
ris generis eſt, ubi quis more noſtro in Imperii & Im-  
peratoris fidem & tutelam, **Käyſerlich Schutz und**  
**Schirm** / recipitur. Ita ſuperioribus annis Comi-  
tes VValdeccenſes contra Landgravium Haſſiæ, li-  
cet ejus eſſent Vaſalli, Imperatoris Salvaguardiam  
ſollicitarunt & impetrarunt. **Waldeckiſche Ehrenret-**  
**tung part. 2. c. 34.** Plura de hac legi poterunt apud  
Magerum *d. l. c. 17.*

XXXIV. Sæpe etiam Jus Protectionis ſeu  
Advocatiæ Salvaguardia dici adſolet; cum tamen  
& ipſa ſint diverſa. Salvaguardia enim denotat ex-  
traordinariam privilegioque Cæſaris munitam pro-  
tectionem, quam ſummus ille Princeps pro ſecurita-  
te & defenſione rerum & perſonarum nonnullis ſpe-  
ciali ex cauſa illam petentibus tribuit. Eſt igitur  
Jus Protectionis, Advocatiæ, Clientelæ (variis e-  
nim appellatur nominibus) **Schutz und Schirm** /  
**Schutz und Schirmsgerechtigkeit** / **Bogten** /  
E 3 **Schirm**

**Schirmvogten** / etiam securitatis gratia sit comparatum, differt tamen à Salvaguardia, ut diximus: id quod fortè ex origine ejus altiùs paulò repetita liquebit. Videtur potissimum Advocatia olim instituta in gratiam Monasteriorum, Abbatiarum & collegiorum Religiosorum. Hi enim olim sacris & doctrinæ Christianæ propagationi ita sedulò incumbabant, eaque tum iis religio supererat, ut nefas crederent, rebus curisque secularibus implicari. Itaque deligebant sibi quendam Patronum, aut ipse Fundator collegii iis Patronum dabat, qui bona ipsorum administraret, & jurisdictioni præesset: isque dicebatur nostra lingua **Vogt**. Successu temporum vero cum variæ belli tempestates existerent, quæ sæpe etiam in bona Ecclesiastica dedicata detonabant, Advocati præcipuè illi fuerunt sive delecti, sive dati, qui brachio seculari, ut vulgò dicimus, oppressis aut damnum metuentibus Collegiis sacris opitularentur, & ab injuria & violentia militari eadem defendere possent, illorumque prædia, vectigalia aliosve redditus iis donatos attributosque tueretur. Quod ut tantò facilius fieri posset, potentio rem ferè Principem, aut Comitem, aut Nobilem sibi defensorem ac patronum cooptabant. Hinc in diplomate donationis, quam Carolus M. Ulmensibus Monachis dedit, apud Nauclerum ita legimus:

gimus: *Adelbertum cognatum nostrum advocatum & defen-*  
*sorem constituimus, & c.* Abbas Urspergensis Advocata-  
tiam his exponit verbis: *Imperatores nihil juris sibi vendi-*  
*carunt, præterquam illud quod pertinet ad dominum totius ter-*  
*re, ut sub protectione sua eas susciperent, & privilegiis suis mu-*  
*nirent, & fideliter defenderent.* Eaque ratione Cæsar di-  
citur Advocatus Ecclesiæ Romanæ. Pergit paulò  
post Abbas Urspergensis ita: *Et de voluntate fratrum,*  
*in prædiis eorum statueret extra Abbatiam annuum, quod sibi*  
*pro advocatia & defensione solveretur.* Cum enim illa de-  
fensio & securitas sæpissime sine milite, adeoque sine  
magnis sumptibus, non posset haberi; solebant mul-  
ti, antequam jus protectionis in se reciperent, certa  
servitia & reditus pacisci, v. g. certam quantitatem  
vini, frumenti: beneficium successorium in bonis  
hominum priorum, *Hauptrecht*: item *Herdrecht*/  
quod ratione domus seu villæ solvitur, gallina puta,  
*Rauchhenne*: & propter judiciorum molestiam par-  
tem multæ, *Frevel*: item *Jäger-Alt und Hundes-*  
*gen/Gastrecht und Einkehr.* Varias enim & fuisse,  
& esse posse conventiones hujusmodi, quis nescit?  
Multæ sunt aliàs quæstiones, quæ circa hoc jus mo-  
yeri solent, quæ explicatæ leguntur apud Magerum de  
Advocatia armata. Ille *cap. 4.* *Advocatiã* definit, quod  
*sit jus in clientelam susceptos, eorumq; bona, contra vim & inju-*  
*riam de jure & de facto defendendi, sub annuo plerumq; honorar-*  
*io, jure constitutum, vel conventionem, aliisve modis introductum.*

XXXV.

XXXV. Per diversas ostendi partes (omnes enim colligere nec mei instituti est, & laboris non uno volumine circumscribendi) quo pacto & jure Naturæ, & Gentium, & civili Romano Germanico securitati fuerit prospectum, quantumque in Legibus Securitatis sit præsidium. Nec tamen illud est tantum, ut unice rem hanc conficiat. Præterquam enim quod humano appetitui in universum tenacissime in hæreat libido detrectandi rectæ rationis & legum obsequium, eisque obluetandi; multi etiam eò improbitatis proveci sunt, ut callum penitus obduxerint, tam prompti ad malum patrandum, quam lenti & fegnes ad bonum peragendum. Rectè itaque docet Philosophus *10 Nicom. ult §. 35*. Legem habere δύναμιν ἀναγκαστικήν, facultatem cogendi. Quæ quidem videtur esse duplex: primò quidem vim suam Lex eo prodit, ut quotquot Legislatori subsunt, atque is lege constringere voluerit, rite ea promulgata efficaciter sibi reddat obligatos. Deinde, ni pareant legis obligationi spontè, pænâ cogat; sic ut quæque lex primariò ad obsequium debitum, secundariò ad pœnam obliget.

XXXVI. Qui igitur Reip. præest Legislator, ejusve nomine Judex, νομοφύλαξ, custos legum esse debet, siquidem & suam & legum autoritatem velit esse salvam. Absque Legis enim executione si fuerit,  
&

& de illis actum est, & de omni securitate, ac per consequens tolleretur & omnis societas, ut non solum Cyclopus, sed belluarum etiam crudelissimarum more inter se homines sint desæviturus. Quam religiosè igitur Judici observanda est Æquitas, tam exprompta ipsi esse debet, ubi opus est, justa severitas. *Bonis enim nocet, qui parcit malis.* Minimè omnium vero iis est parcendum, qui lædunt securitatem, jus societatis humanæ seu naturæ sua malitia adorientes proculcantesque. Leges igitur securitati prospicientes, ut aliæ, auctoritatem & vim suam conservant ac tuentur irrogatione pœnarum à refractariis luenda. Qui si multi sint, & aliqua factione socii sceleris sint conglobati, apparatu quodam bellico opus est, ut capiantur, & justum de iis supplicium sumatur.

XXXVII. Cæterum cum Pacis & Securitatis non uno modo se hostes ferant facinorosi, fortè nec eadem ubique illos debellandi erit ratio. Qui enim securitatem violant publicam, vel in eadem vivunt Rep. aut ejus membrum fuerunt: vel alia quædam est Resp. ejusve aliqua pars; vel extra omnem Remp. vagantur. Quando diversæ Respp. de securitate aliisque rebus decertant, Publicum est bellum, quia geritur utrinque eorum auctoritate, qui jus belligerendi propriè habent. Deinde bellum securitatis gratia suscipi aliquando dixi à Republica, in quædam sua

F

mem-

membra reluctantia, & fortè abscissa: quales  
 sunt Perduelles & Banniti qui dicuntur. Videatur  
 omnino hic *Ord. Cam. p. 2. tit. 9.* cujus pauca  
 solum verba huc reponam: So bald auch der  
 oder dieselbe Thäter und Friedbrecher also durch die Kän-  
 serliche Majestät / uns als Römischen König / oder das  
 Känserliche Cammergericht mit vorgehender citation  
 oder Fürheischung / in die angeregte Acht gefallen sind /  
 declariert und erkläret / sollen des oder derselben Leib und  
 Gut allermänniglich erlaubt seyn / und niemands daran  
 freveln oder verhandeln können oder mögen. Atque  
 hinc sententia Banni declaratoria ita concipi solet in  
 Camera, Nachdem &c. Darumb in Nahmen und an-  
 stadt höchstgedachter Känserl. Maj. denunciieren und  
 verkünden wir denselben (Bannitum) in solche Känserl. Maj.  
 und des H. Reichs Acht / setzen ihn aus den Frieden in Un-  
 frieden / und erlauben sein Leib / Hab und Gut gedachtem  
 N. allermänniglichem. *Gail. 2. de Pac. Publ. c. 6. n. 10.*  
 Inter Perduelles refero etiam eos, qui deficiunt. *De-*  
*ficere autem dicuntur, qui ab his, quorum sub imperio sunt, desi-*  
*stunt, & in hostium numerum se conferunt: inquit Paulus*  
*l. 5. §. 1. ff. de cap. minut.* Hoc quoque loco & nume-  
 ro sunt Proditores & Transfugæ. *Nam qui malo con-*  
*silio, & proditoris animo patriam reliquit, hostium numero ha-*  
*bendus est. Præterea Transfuga non is solum accipiendus est,*  
*qui aut ad hostes, aut in bello transfugit: sed & qui per inducia-*  
*rum tempus, aut ad eos, cum quibus nulla amicitia est, fide susce-*  
*pta transfugit: ait idem Jctus l. 19. §. 4. & 8. ff. de capt. & post-*  
*lim.* Ejusdem notæ sunt, qui confilia nostra renunti-  
 averunt hostibus *l. 6. §. 4. ff. de re milit.* Et Insidiatores,  
 qui

qui dolosè quid adversus salutem Reip. machinan-  
tur. Cæterum cum vario delinquendi modo crimen  
Perduellionis contrahi possit, omnes sine dubio Per-  
duelles hostes Reipubl. erunt, in quos adeò illa bel-  
lum decernere solet.

XXXVIII. Præter istius farinae homines sunt &  
alii, qui non tam unius quàm plurium Rerump. imò  
generis humani se hostes profitentur, veluti Latro-  
num ac Prædonum turba, qui cujusvis lucelli spe ho-  
mines aggrediuntur, nullo habito discrimine, Tros  
Rutulove fua. Horum gregi & conditioni non  
immerito adsociantur Assassini qui dicuntur, hoc  
est, qui pecunia accepta dantium mandato homines  
quoslibet ex insidiis involant, & vel indignis modis  
fustibus demulcent, aut sica telove perimunt. Imò  
tanta scelestissimorum horum hominum fuit sæpe  
audacia, ut *nonnulli magnates, taliter perimi formidantes,*  
*coacti fuerint securitatem ab eorundem Assassinorum domino im-*  
*petrare, sicq; ab eo non absque dignitatis Christiana opprobrio*  
*redimere quodammodo vitam suam.* Verba sunt Innocen-  
tii IV. c. 1. X. de Homicid. in 6. Unde eod. c. & man-  
dans & mandatarius assassinus pronuntiatur à toto Cbri-  
stiano populo perpetuo diffidatus, hoc est, publicus hostis  
declaratus. Bellum quoque indixisse humano gene-  
ri videntur, qui flumina ac maria infesta habent, Pira-  
tæ, Gallis *Corsaires* dicti, Nicetæ *κρησιάρχοι*: quos  
rectè cum Zonara dixeris *ἔθνος κακίστον*, *pestimum*  
F 2 homi-

*hominum genus. Hinc Cicero 3. offic. Pirata non est ex per-*  
*duellium numero definitus, sed communis hostis omnium.*  
Rectè; qui enim non unius gentis hostem se profite-  
tur, ipso etiam factò, juris gentium effectus, eorum-  
que participationem minimè meretur. Hinc pira-  
tarum naves & bona, etiam naufragio ejecta licet in-  
vadere. *auth. Navigia. C. de furt.* hisque immitti so-  
lent naves exploratoriæ, quæ excursions faciant, &  
piraticæ naves excipiant, *Außlaoschiff.*

XXXIX. Cum igitur pacem & securitatem  
non semper Legibus obtinere aut tueri liceat, prima  
Principis cura esse debet, ut apparatu militari semper  
sit instructus, etiam pace. Milite enim etsi non uta-  
mur, nisi ubi aliquod bellum est gerendum, pace ta-  
men de eo maturè cogitandum est, ne de periculo  
maximè securi, in maximum incidamus periculum:  
quod in omnes eventus providi Principis cura se ex-  
plicare & præparare debeat. *Nemo, inquit Lampri-*  
*dus, provocare facilè audet, aut facere injuriam ei Regno, aut*  
*populo, quem intelligit expeditum, atq; promptum esse ad vindic-*  
*candum. Sint igitur, adhortante Tacito de morib. Germ.*  
*prompta omnibus arma, ac si res poscat exercitus plurimorum vi-*  
*rorum.* Atque hanc ob causam Feuda olim data mi-  
litibus, ut nunquam deessent, qui fines tuerentur.  
Et ne à multis seculis exempla arcessam, etiam Caro-  
lus V. Imp. privilegia & immunitates certis militum  
ordinibus dedit, quos vocant *Bandes d'ordonnance*, in  
Belgiæ



Belgii defensionem ac securitatem. Perez ad tit. C. de re milit. Hæc fuit causa Marchionatum in Imperio Germanico quondam institutorum. Hinc olim constituti sunt in eodem Imperio Burggravii, quibus custodia alicujus Arcis seu castelli erat commissa: quales se adhuc ferunt Saxoniae Duces, & Marchiones Brandenburgenses, illi Magdeburgi, hi Noribergæ.

XL. Quinimo bellici hujus apparatus & præsidii tam necessaria est cura, ut publicæ securitatis & salutis ratio sæpe exposcat, ut Respublica Domini eminentis jure utatur. Id quod Grotius ita describit, *quod Civitas habet in cives, & res civium ad usum publicum.* Rectè igitur justeque illud jus suum explicat, quoties salus publica illud exegerit; absque hac enim si fuerit, summæ injustitiæ adhiberi possit prætextus. Si igitur Civitas aliter salva & secura esse nequeat, nisi aliqui ejus subditi objiciantur periculo, iique sine gratiæ aut odii impulsu evocentur aut legantur, nulla hac in re est injuria. Si item & necessitatis & loci situsque ratio exposcat munimenta & castella isthic fieri, ubi privatorum sunt agri aut domus, sine injuria privati domini jus ab eminenti dominio extinguitur, privataque bona in usum securitatemque publicam convertuntur; ita tamen, ut compensatio fiat ei ex communi, cui communis utilitatis causa ex suo aliquid ita abesse cœpit, quodocunque id fieri potest. Onera enim civitatis

uni non sunt imponenda, sed quisque pro virili sustinere debet, quæ civitatis usus postulat, ne pars ultra modum partis oneretur. Sed de nobili hoc argumento, Domini eminentis autoritate, videatur fanè Grotius libris de I. Bel. P. passim, & cum primis Cl. Bœclerus disquis. de *Domin. Emin.* inserta insigni Commentationi in librum Grotianum primum p. 85. seqq.

XLI. Cæterum cum Bellum sua natura videatur esse Juris & Securitatis quoddam subsidium extraordinarium, ideo & modus ejus debet esse certus, ut non temere nec in infinitum proferatur, sed quamprimum abrumpatur, ubi justa securaque pax haberi queat. *Nemo enim bellum belli expetit gratia, neque quisquam est, qui sua ipsius causa bellum paret. Fœdare enim in eo cadium cupiditatem esse judicaret quisvis, si quis amicos sibi hostes faceret, tantum ut prælia & nece spectaret:* inquit rectè Aristoteles 10. Nic. 7. §. 23 & 24. Cum vero propter animorum exacerbationem, aut intricatas belli aliasque causas non semper aut protinus Pax solidè constitui possit, solent sæpe Inducias utrinque belligerantes pacisci, easque vel diebus vel pluribus circumscribere annis. *Sunt enim Induciae, cum in breve, & in præsens tempus convenit, ne invicem se laceffant;* inquit Jctus l. 19. §. 1. ff. de capt. & postlim. Melius eo Grotius illas describit 3. de I. B. P. c. 21. n. 1. *Induciae sunt conventio, per quam bello manente ad tempus bellicis actibus abstinendum est.* Pacem sequestram dixit Virgilius, & ibi Servius Pacem temporalem; non sine figura. XLII.

**XLII.** Sed cum nudis conventionibus & patris homines non satis sibi cautum esse putent, sublestæ fidei exemplis moniti, securitatis majoris gratia, accessiones ut ipsius Pacis, ita & Induciarum, sæpe requiruntur Obsides & Pignora. Atque hæc vel utrinque dari reddique solent, vel solùm ab alterutro dari, victo fortè, aut tali conditione posito, ut superior & hæc & alia ipsi imperare queat. Ea enim est Obsidum & Pignorum tradendorum ratio, ut si fides factorum malitiosè aut temere violata fuerit, multa satis rigidè in Obsides statuendi jure gentium liceat: pignora vero, putà castella, arces, ejusve generis alia in ejus, cui securitatis gratia tradita sunt, possessionem, si id actum sit, transferuntur.

**XLIII.** Possunt etiam publicæ Securitatis gratia Fidejussores exigi darique. Est vero Fidejussio *συνάλλαγμα* spontaneum, quo fides interponitur pro amico obligato, ut huic alter fidem habeat, & de suo sit securus. Jure quidem civili Romano conceptis verbis formulisque illa solebat præstari, & ratione hujus solennitatis est juris civilis positivi. At in se spectata est juris naturæ; qui enim alteri sciens volens bona fide promittit, ut aliquid fiat vel præstetur, naturaliter illi, cui promissio facta est, seu qui fidem illam recepit, obligatur. Et licet dicatur, Fidejussorem obligari nomine alieno, non eo hoc sensu est accipiendum, ac si suo nomine non obligetur; sed quod propter causã & emolumentũ alterius in personam

nam

nam suam concipiat obligationem: uti rectè monet  
Bachovius *ad Wesenb. Parat. de Fidejuss. n. 1. Is natura debet,*  
*quem jure gentium dare oportet, cujus fidem secuti sumus. l. 84.*  
*ff. de R. J.*

XLIII. Magnum cum primis etiam securitati  
publicæ robur addit Juramentum, est que pactorum  
aut foederis accessio. *Est enim, inquit Cicero 3. offic.*  
*Jusjurandum affirmatio religiosa: quod autem affirmate Deo te-*  
*ste promiseris, id tenendum est. Idem: Nullum vinculum ad*  
*adstringendam fidem majores nostri jurejurando arctius esse volu-*  
*erunt.* Est vero ejus non una species. Judiciis sanè  
quæ inserviunt, explicandarum aut præcidendarum  
controversiarum gratia præstantur. Quæ conven-  
tionibus & foederibus in securitatem conceptis acce-  
dunt, hanc habent finem, ipsam, inquam, Securitatem.  
De his rectè loquitur Dionysius Halicarn. lingua  
hic latina: *Ultima fides inter homines tum Græcos tum barbaros,*  
*quam nulla delebit ætas, est ea, quæ per jurata pacta sponsores ad-*  
*bibet Deos.* Religio Jurisjurandi autem in eo confi-  
stit, quod non solùm hinc homini, cui juratur, jus  
plerumque soleat nasci in jurantem; sed quod potissi-  
mum illud præstetur Deo, qui testis advocatur & ju-  
dex juramento, ut si sciens fefellerit jurans, illum ha-  
beat vindicem & prostitutæ fidei & extremæ im-  
pietatis acerrimum. Sed ad disquisitionem Acade-  
mico more instituendam, hæc de propo-  
sito argumento per saturationem attulisse  
sufficiat.